



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118278

§. 59. Annus sacer in Germania.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Sæcul. XIV.
A. C. 1391.

§. LIX.

Annus sacer in Germania.

Gobel. c. 86. Post annum sacrum ex decreto Urbani VI celebratum, hoc anno 1391 Papa Bonifacius urbi Coloniae Ubiorum eandem, quam Romæ, indulgentiam concessit, ita, ut Coloniae cives, & qui per hujus anni cursum eo venirent, plenam noxarum veniam impetrarent certa obeundo templa, suaque ibi dona ponendo. Hic primo condonatum cernimus Romanum iter ad consequendam illam indulgentiam sacro annexam anno. Eandem Bonifacius anno proximo impertit Magdeburgo, & ambas in urbes misit, qui certam donorum partem colligeret. Tum similem indulgentiam pro certis mensibus largitus est aliis Germaniæ urbibus: quapropter Misniam, & Pragam frequens occurrit populus.

Bonifacius deinde pluribus Germaniæ locis hoc tribuit, ut ii, qui certa ibi templa inviserent, indulgentiam obtinerent parem illi, quæ aliquando decreta fuisset adeuntibus loca in diplomate nominata. Denique hic Papa tam fuit prodigus in concedendis noxarum expiationibus, ut has nemini denegaret: sed constabant pretio: quocirca in contemptum veniebant.

Inte-

Interim Bonifacius edebat litteras ^{Sæcul. XIV.}
 Christianis inscriptas omnibus. Ibi de ^{A. C. 1391.}
 clamat in schisma; pro documentis boni ^{Spicil. to. 6.}
 juris sui affert divinas declarationes Fra- ^{p. 49.}
 tri Petro Arragoniæ Principi, & S. Bir-
 gittæ factas; & propositionem concilii
 cum indignatione rejicit. Eo demum
 totæ spectant litteræ, ut nemo non dese-
 rat, ac detestetur Papam Avenionensem.
 Dabat Calendis Martiis an. 1391. Hoc
 ipso anno Birgittam Suecam inter Cæli-
 tes retulit per diploma 6 Octobris scri-
 ptum, die obitus decimo Calendas Au-
 gustas ejus memoriam celebrari jubens:
 sed hæc postea translata fuit in octavum ^{Sup. l. 97.}
 Octobris. ^{S. 17. 18.}

Londini die Veneris 10 Novembris ^{Valsing.}
 haberi cœpus est senatus; ubi tractaba- ^{p. 346.}
 tur Papæ querimonia. Rex ac patruus
 ejus Dux Lancastriæ videbantur Papæ
 cedere. Sed Optimates neutiquam con-
 sentiebant, ut ii, qui Romam irent, ibi
 obtinere beneficia impune possent, ut an-
 tea. Ne tamen nihil Papæ, aut Regi da-
 rent, patiebantur id Regis permisso fieri
 usque ad senatum alterum.

§. LX.

Continuatio belli Neapolitani.

Ut Ludovici Andegavenſis partes in re-
 gno Neapolitano ſemper fortiores
 Gg 5 erant;